

Viro doctissimo atque clarissimo

CAROLO LINNAEO

Med. Doct.

S. p.

Joannes Amman.

Gratissimæ mihi fuerunt literæ Tuæ ante aliquot menses e Musæo cliffortiano ad me datæ. Pro transmissis autem hactenus a Te editis Scriptis Botanicis maximas ago gratias, utque meo nomine similes agas insigni et celeberrimo rei herbariæ cultori & promotori D^o Cliffortio pro oblata mihi Musæ¹ n horto suo florentis descriptione obnixè rogo. Memini a Celeb. Gronovio audivisse, dum Lugduni Batavorum studiis medicis operam dabam, quot & quantis ille sumptibus, quantaque industria plantas omnis generis et regionis rarissimas in horto suo amoenissimo prope Harlemum colat conservetque. Quantum igitur ex ejusdem catalogo, quem Tu conscribere dicis, ad rei herbariæ augmentum exspectandum erit? Ut video, bilem Tibi movit mea ad Gronovium & Dillenium data sententia de nova Tua methodo a staminibus et pistillis sumpta. Lascivam jocabundus dixi in literis ad Gronovium ni fallor; sed vix credere possum Te ægre hoc laturum. Si perpendere velis tantum subinde maritorum acervum uni feminæ destinatum respectu hominum nostrorum mores et leges castitatis vix ullam speciem præ se ferre. Non loquor autem de legibus plantarum naturalibus a summo Creatore sancitis. Ad Dillenium scripsi methodum Tuam in constituendis et definiendis stirpium generibus magno cum usu adhiberi posse; in ordinandis autem classibus vix ullum locum habere. In hac adhuc sum sententia; nam secundum methodum Tuam plantæ ad unam eandemque classem referuntur, quæ præter numerum staminum & pistillorum nihil commune, omnes vero reliquas partes distinctissimas habent. Qualis quæso affinitas, si staminum numerum excipias, inter Valerianam et Cyperum, inter Persicariam & Campanulam, inter Gentianam, Ribem & Angelicam etc.? Perlegi Floram Tuam Laponicam multasque plantas ibi recensitas et descriptas reperi, quæ etiam circa Petropolim sponte nascuntur. Betulam exempli gratia, foliis orbiculatis crenatis, cujus iconem quoque et descriptionem jam ante duos annos Academiæ nostræ tradidi.² Synonymis Tuis deest: Betula